



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

Gregorius XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

cessis, & forsan extensis, quas quoad ea quæ præsentibus adversantur & contrariantur, penitus & omnino revocamus, cassamus, & irritamus, nec non Monasteriorum, & aliorum Regularium Locorum, ac Ordinum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliis nuncupatis, quibusvis Monasteriis, Regularibus Locis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus & aliis decretis, etiam motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliis quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis: quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso & formâ in illis tradita observata inferri forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, contrariis quibuscunque.

§. 5. Ut autem præsentibus Litteræ ad omnium quorum interest notitiam deducantur, nec aliquis earum ignorantiam prætere, aut contra eas se excusare valeat, dicta auctoritate statuimus & decernimus, ut ipsæmet litteræ, vel earum transumptum in Basilica Principis Apostolorum de Urbe, Sancti Joannis Lateranensis, ac Cancellariæ Apostolicæ valvis, ac in acie Campi Floræ per aliquos ex Curforibus nostris publicentur, earum exemplo in singulis valvis & acie prædictis affixo, & dimisso.

§. 6. Verum quia difficile foret præsentibus litteras ad singula quæque loca, in quibus de eis fides facienda est, deferri volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod earundem litterarum transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, in judicio, & extra illud, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostense.

Nulli ergo &c.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagesimo primo, octavo Id. Augusti, Pontificatus nostri, anno sexto.

Anno à Nativitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo; Indictione decima quarta, die vero vigesima secunda Mensis Augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini PII, divinâ providentiâ Papæ V. anno ejus sexto, retroscriptæ litteræ affixæ & publicatæ fuerunt in locis retroscriptis, per nos Joannem Gerardum & Alamanum de Alamanis Cursores.

Philibertus Chappuis, Mag. Curf.

GREGORIUS DECIMUS TERTIUS.

PONTIFEX CCXXX.
ANNO DOMINI MDLXXII.

Gregorius Bononiensis, prius Hugo Boncompagni, anno 1572. Pio V. successit. Hic Kalendarium variis erroribus obnoxium, ac labentem Festorum rationem juxta Veterem Nicænæ Synodi rationem restituit, demtis è Mense Octobri anni 1582. decem diebus, & æquinoctio verno deinceps vigesimo primo Martii assignato, Epactisque ad Lunæ mu-

tationes designandas, in aurei numeri locum substitutis, editis ea de re regulis perpetuo duraturis. obiit anno 1585. (*Magni Bullarii Romani hujus Editionis Luxemb. 1727. Tom. II. fol. 387. App.*)

Breve ad Philippum II. Regem Hispaniarum, quo ei facultatem largitur creandi novos Equites Ordinis Aurei Velleris extra Capitulum seu Comitiam Ordinis: anno 1572.

GREGORIUS PAPA XIII.

Carissime in Christo Fili noster, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Exponi nobis nuper fecisti, quod ad præsens vacant plura Loca & Officia Ordinis seu Societatis Velleris Aurei, *Del Toson*, vulgò nuncupati, & dubiras de Locis & Officiis hujusmodi extra Capitulum dicti Ordinis disponere seu providere posse.

Ad omnem igitur dubitandi materiam tollendam, tuis in hac parte supplicationibus inclinati. Tibi, ut hac vice de Locis & Officiis hujusmodi extra dictum Capitulum, quatenus id aliter facere nequeas, ad tui beneplacitum disponas, disponendi licentiam & facultatem, Apostolica Auctoritate, tenore præsentium concedimus.

Non obstantibus dicti Ordinis juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, stabilimentis, usibus & naturis, etiam si in illis caveatur expressè, quod illa Officia extra dictum Capitulum conferri non possent, & aliter factæ collationes & provisiones nullæ essent, Privilegiis quoque, Indultis & Litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis & innovatis (quibus omnibus, eorum tenores in præsentibus pro expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus) ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV. Octobris, anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, Pontificatus nostri, anno sexto.

Reducit ad Normam Juris Communis, & Concilii Tridentini omnia privilegia Regularibus à Pio V. concessa: an. 1573.

GREGORIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

In tanta rerum, & negotiorum mole, qua Romanus Pontifex ex omnibus mundi partibus ac fidè premitur, vix vitari potest, ne aliqua interdum exiliant, quibus postea recognitis necesse est moderationis remedium adhibere.

§. 1. Cum itaque aliis fel. rec. Pius Papa V. Prædecessor noster, auditis gravaminibus, quæ Fratribus Ordinum Mendicantium ab Ordinariis locorum, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, multis modis inferri dicebantur, super sacris concionibus, & lectionibus habendis, confessionibus audientibus, penitentibus injungendis, Fratribus ad Ordines promovendis, celebratione Missarum, cura animarum, Sacramentorum ministracione, sepulturis, quarta funeralium, legatis, donationibus, eleemosynis, collectionibus, aliisque hujusmodi juribus, nec non decimis, & diversis oneribus, ac etiam super statu & regimine Sanctimonialium ipsi Fratribus subiectarum formatione processuum, censurarum publicatione, processionibus, præcedentiâ, locorum acquisitione, certisque aliis rebus tunc expressis, multa per quasdam suas litteras pro dictis Fratribus non modo statuerit, sed & quæ jam in Concilio Tridentino decreta fuerant ad hæc pertinentia declaraverit, multaque præterea privilegia eisdem decimo septimo Calend. Junii, Pontificatus sui, anno secundo:

§. 2. Et

§. 2. Et deinde ea omnia diversis aliis Ordinibus & Congregationibus Regularium non Mendicantium, etiam per modum communicationis concesserit.

§. 3. Postea per quandam suam Constitutionem de Vicariis perpetuis Parochialibus Ecclesiis unitis per Ordinarios Locorum instituendis, & portione illarum Vicariis assignanda editam, alia super constitutione Fratrum eorumdem ad exercitium Curæ animarum in eis Parochialibus Ecclesiis, quæ domibus & locis suis unita sunt, decreverit.

§. 4. Demum animadverso, quod ea omnia multis dubitationibus involuta, magnisque difficultatibus obstructa, multas magnasque dissensiones, alterationes, & lites inter prædictos locorum Ordinarios, & Fratrum ipsorum Ordines, non sine gravi Divini Cultus, & animarum detrimento, ac populorum scandalo concitaverant, contra ac ipsè sperabat, & per suam expectationem, ut qui interdum conquereretur, multa aliter alioque sensu à se prolata fuisse, quam litteris expressa essent: Cupiens his mederi incommodis, primum illa omnia, quæ Regularibus aliorum Ordinum quàm Mendicantium communicaverat, & secundum præmissa concesserat, motu proprio restrinxerit: Deinde plenius providere volens, prioribus litteris à se quoad ipsos Mendicantes magna in parte moderatis, omnes, & quascumque alias litteras, quæ de aliis Ordinibus, & Congregationibus extra Mendicantium Ordines de Observantia nuncupatos manerant, omnino aboleverit, causas omnes jam de his etiam in Romana Curia pendentes ad se advocando, lites extinguendo, ac formatos super illis processus latasque sententias annullando, quemadmodum aliis suis litteris in registro proxime compertis, nunquam tamen publicatis, plenius continetur.

§. 5. Postremò circa Confessoriorum Regularium Mendicantium approbationem juxta Concilii prædicti decretum faciendam, etiam Lectores in Theologia Graduatos, & certos alios tunc expressos comprehendendi debere declaraverit.

§. 6. Nos hac tanta varietate cognita, quæ etiam ex multiplici litterarum, & constitutionum editione procedit, præsentibus & futuris discriminibus occurrere volentes, de nobis attributa potestatis plenitudine statuimus, & ordinamus, de prædictis & aliis omnibus litteris & constitutionibus, quæ ab eodem Prædecessore eisdem de rebus quorumcumque Regularium, etiam Mendicantium Ordinibus, & Congregationibus quomodolibet emanarunt, ac omnibus, & quibuscumque in eis contentis, eam deinceps dispositionem, atque decisionem pro subiecta materia futuram esse, quæ sive ex jure veteri, sive ex Sacris dicti Concilii Decretis, sive aliis legitime ante dictarum litterarum & constitutionum editionem erat, & si ipsæ non emanassent, futura fuisset, ad quam dispositionem & decisionem, suumque pristinum integrum statum, ac terminum illa omnia reducimus; quin etiam tollimus, & abrogamus omnia irritantia, & alia decreta, nec non prohibitiones, declarationes, mandata, & quæcumque alia ipsis litteris & constitutionibus appolita, & aliis eorum occasione vel causa factis, his nostris statuto, ordinationi, & reductioni adversantia, quibuscumque illa sint concepta formulis, ac reservationibus, declarationibus, modificationibus, restitutionibus, mentis attestationibus, derogationum derogatoriis, aliisque fortissimis, efficacissimis, & inviolabilibus clausulis, etiam motu & potestatis plenitudine similibus, & ex certa scientia, etiam pro conservatione status Regularis, & ex quibuscumque aliis urgentissimis causis quotiescumque roborata. Decernentes illa omnia pro nullis & infectis haberi, omnesque supradictos, illarum usu, commodo, & effectu carere.

§. 7. Ac omnes lites & controversias, quæ coram quibusvis Judicibus, sive Ordinariis, sive Com-

missariis, etiam causarum Palatii Apostolici Auditoribus, & S. R. E. Cardinalibus, etiam de Latere Legatis, prædictarum litterarum & constitutionum occasione super præmissis jam motæ sunt, nec dum decisæ aut finitæ, vel etiam quæ jam decisæ sunt, si modo tractum habeant successivum, easque rursus & inter quoscumque excitari in posterum contingat, secundum prædictam dispositionem nec aliter decidendas.

§. 8. Futura verò dubia & difficultates, quando-cumque & ubicumque orientur, ad Nos, & Sedem Apostolicam, ubi & cætera quæ ad decreta dicti Concilii pertinent quotidie declarantur, omnino referenda esse.

§. 9. Nec non irritum & inane, quidquid fecus super his per quoscumque scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 10. Mandamus itaque in virtute Sanctæ Obedientiæ, præsentibus ab omnibus ubique Episcopis, & Locorum Ordinariis, nec non Ecclesiarum Prælatibus, Recltoribus, Fratibusque prædictis, ac cæteris ad quos pertinet, semper inviolata observari.

§. 11. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, Locorum & Ordinum quorumcumque juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, etiam Mare magnum, & Bulla aurea nuncupatis, dictis Ecclesiis, Ordinibus, & Congregationibus quomodolibet concessis, & confirmatis: quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, expressa, individua, & ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum infererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes; illis aliis in suo robore permanens, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 12. Ut autem præsentibus omnibus plenius innotescant, volumus earum exempla fieri, & etiam imprimi, illisque Notarii publici manu, & Curie Ecclesiasticæ, vel Prælati, & Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo obfignatis, eandem illam prorsus fidem, in judicio & extra illud ubique locorum adhiberi, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, Calend. Martii, Pontificatus nostri anno primo.

Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi, millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, Indictione prima, die verò vigesima tertia Mensis Martii, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Domini Gregorii, Divina Providentiâ Papæ XIII. anno primo, retroscripta littera affixa, & publicata fuerunt ad valvas Basilicarum Principis Apostolorum, & Sancti Joannis Lateranensis de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Joannem de Soya, & Marcum Antonium Brum, ejusdem Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores. Antonius Ludovicus, Mag. Curf.

Petente Henrico III. Galliarum Rege tributa decernit super Bonis Ecclesiasticis Regi solvenda, usque ad decies centena millia librarum, pro subsidio contra Religionis, & Regni perduelles: anno 1574.

GREGORIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Carolo Sancti Apollinaris à Lotharingia, & Carolo Sancti Chry-

III.
Ex ibid.
Tom. 4.
pag. 750.

Legioni titulorum, à Borbonio, Presbyteris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Venerabilibus Fratribus Antonio Marie Sancti Papuli nostro in illis partibus Nuncio, ac Parisiensi Episcopo, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

IN maximis animi nostri molestiis, & hujus temporis calamitatibus, ea præcipue cura Nos angit, ac sollicitos reddit, ut aliqua inenata ratio, quæ summæ necessitati charissimi in Christo Filii Nostri, Henrici Francorum Regis Christianissimi, ab nobilissimi ejus regni salutis, Religionisque in eo Catholicæ defensionis, quantum in Nobis est succurramus, Scientes enim post obitum claræ memoriæ Caroli Regis proximè defuncti, regnum illud non internis solum & domesticis seditionibus ac periculis plenum, sed externis etiam invasionibus expositum relictum fuisse, ærantium, ob diuturna superiorum temporum bella, exinantium, ipsum Henricum Regni Successorem, quoniam longissimè tum absuit, in Regnum revertendi, ejusque pacandi causa ingentes necessariò sumptus esse facturum: tum ob hæc, tum ob præstantissimam illius pietatem, virtutem, ac Religionis Catholicæ zelum, omnibus eum gratis & auxiliis juvandum & ornandum esse judicavimus. Eti autem cuperemus, id à Nobis fieri posse sine ullo Ecclesiarum, earumque possessorum, incommodo ac detrimento, tamen cum opes regis adeo attrita sint, ut celeri indigeant auxilio, & periculum impendens ad omnes æquè, ac multo etiam plus ad ipsas Ecclesias, Ecclesiasticasque Personas pertineat, nec mirum, nec cuiquam grave videri debet, si ad Christi patrimonium, cujus causa agitur, Ecclesiarumque substantiam confugitur. Itaque cum exploratum Nobis sit, subsidium decies centenum millium librarum Turonensium ex fructibus Ecclesiarum istius Regni à vobis mandato, & Auctoritate Nostra proximè per alias Nostras litteras imperita exigendum, ipsius Regis, & Regni necessitatibus satis esse non posse, sed majori opus esse subventionem, ac propterea aliud simile subsidium ex proprietate Bonorum Ecclesiasticorum redigendum concedere statuerimus, vestra etiam in hac parte fide, prudentia, integritate, ac diligentia confisi, de Apostolicæ Potestatis plenitudine Nobis attributa, vobis per Apostolica Scripta mandamus, ut per viros idoneos, prudentes ac Deum timentes diligenter de statu, qualitate, ac redditibus omnium Ecclesiarum inquiratis, & quid earum cuique quæ minimâ ipsarum jacturâ, & incommodo abstrahi possit, re diligenter cognita statuatis, super quo conscientias vestras oneramus. His verò peractis vobis promittimus, plenamque, & liberam facultatem, mandatum & auctoritatem tribuimus, ut nullius consensu requisito, ac etiam invictis & contradicentibus possessoribus de omni, & quacumque proprietate, & dominio Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, Primatialium, nec non Monasteriorum, Prioratum, Dignitatum, & Conventualium majorum & principalium, Administrationum & Officiorum, cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum Sæcularium, ac Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Præmonstratensis, Grandimontensis, Fontis-Ebraldi, & quorumcumque aliorum Ordinum Regularium, nec non Capitulorum, Conventuum, & locorum omnium in Regno Franciæ, & Dominiis eidem Regi ultra montes subjectis, consistentium, eorumque Menfarum & annexorum, non tamen Mendicantium, nec Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, ac exceptis omnibus Monasteriis Monialium, & Parochialibus Ecclesiis, aliisque Beneficiis, quæ Curam Animarum non habent, & valorem annum centum Librarum Turonensium non excedunt, tot bona immobilia cujuscumque qualitatis, & naturæ, non tamen jurisdictionem habentia, nec non census, fructus, redditus, & jura: ex quibus alia decies centena millia Librarum

Turonensium duntaxat redigantur, ab ipsis Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Officiis, Beneficiis, Menfis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, & Locis, eorumque Proprietatibus, & Juribus. Ita tamen ut bona minus commoda, minusque Ecclesiis utilia ad id deligantur, quorumque alienatio Dignitatem Ecclesiis, Monasteriis, Beneficiis, Ordinibus, & Locis non imminuat, perpetuò dismembrare & separare, & sic dismembrata, divisa, & à reliquo corpore sejuncta, quibuscumque meliorem offerentibus conditionem vendere, & titulo venditionis transferre. Ita quod omnes emptores, eorumque successores, illa tanquam prophana, propria, paterna & avita possidere, & de illis illorumque fructibus liberè disponere possint. Pretium verò ex hujusmodi venditionibus proveniens Henrico Regi ad usus prædictos persolvere, cæteraque omnia & singula necessaria & opportuna facere & exequi, vicesque vestras, sive in toto, sive in parte, aliis delegare liberè & licitè valeatis, etiam si talia forent, quæ mandatum exigent magis speciale, quàm præsentibus est expressum: Non obstantibus Apostolicis ac in Conciliis generalibus vel specialibus editis, nec non Symmachi & Pauli Secundi aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, & alienatis ad jus & proprietatem revocandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus. Nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum & Ordinum prædictorum juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus & indultis Apostolicis, eisdem ac ipsorum Superioribus, & Personis per quoscumque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam, etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, & aliis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacissimis & insolitis clausulis ac decretis quotiescumque concessis, confirmatis, & innovatis, ac quibuslibet aliis indulgentiis, ac Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenoribus existentibus, per quæ præsentibus non expressa, vel non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri. Et de quibus, totisque ipsorum tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris Litteris mentio specialis: quæ omnia nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Si verò quisquam vestrum legitimo detentus impedimento prædictorum executioni minimè poterit interesse, tres ex vobis nihilominus exequantur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ permissionis, tributionis, voluntatis, decreti, ac mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, nono Kalend. Septemb. Pontificatus nostri anno tertio.

Cæ. Glorierius.

Leue, publiée & registrée, oüy & ce requerant le Procureur general du Roy, à la charge de reiterer la publication à la seance du Parlement au premier jour plaidoyable d'après la Saint Martin, prochainement venant. A Paris en la Chambre ordonnée par le Roy au temps des vacations, le 4. jour de Novembre l'an 1574. signée Le Prevost.

Et sur le reply de l'original, depuis envoyé à Messieurs de la Cour de Parlement est écrit: Leues, publiées & registrées, oüy & ce requerant & consentant le Procureur General du Roy. A Paris en Parlement le 22. jour de Novembre, l'an. 1574.

Signé, du Tillet.

Bullæ præcedentis Series.

GREGORIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Carolo Sancti Chrysoconi de Borbonia, & Ludovico S. Thomæ in partitione titularum de Guisla Presbyteris, ac Ludovico Sanctæ Lucie in silice Diacono Etsensî nuncupatis Cardinalibus, nec non Venerabilibus Fratribus Nostri Antonio Mariæ, Sancti Papuli, Nostro in Regno Gallie Nuncio: ac Parisiensî Episcopo, nec non dilectis Filiis Florentino Regnard Carnotensî, & Bono Broë Sanctæ Capellæ regalis nuncupatæ Parisiensî, Ecclesiarum Canonici, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Qui proximè in Gallia motus excitati fuerint, quæ externa & interna armorum diffidiorumque pericula inclytæ Nationi isti impenderint, quibus molestiis, calamitatibus, invasionibus, charissimus in Christo Filius Noster Henricus Francorum Rex Christianissimus obnoxius fuerit, adeo clarum certumque ad omnium aures allatum est, ut à nobis commemorari, quod sine summo dolore facere non possumus, necesse non sit. Ipse quidem Rex tot undique difficultatibus & angustiis circumseptus, quæ est pietate, clementia & animi moderatione, nihil majori curæ habuit, quam ut populos suos tam diuturnis damnis & afflictionibus liberaret, sperans scilicet Dei Benignitate aliquando futurum, ut ipse meliori, & saniori eorum, qui jure aberrarunt, obsequio usus consilia sua ad Dei Gloriam, ac perpetuam regni pacem, & tranquillitatem dirigere, & ad effectum perducere possit. At quoniam ob ingentes perpetuosque superiorum temporum sumptus, fiscus regius supra quam dici potest, exhaustus est, nec in promptu est facultas pecuniæ comparandæ, quæ nunc opus est, ad subveniendum maximis, urgentibusque ipsius necessitatibus, nisi universi regni opes concurrant: cumque Rex, post exactam quantam maximam potuit à Sæcularibus Regni, & ex vestigalibus suis pecuniis, similiter Nobis supplicari fecit, ut opportunum etiam aliquod ex redditibus, Bonisque Ecclesiasticis istius Regni subsidium concedere vellemus; Nos, etsi nihil optatius gratiusque esset nobis, quam Ecclesias, Ecclesiasticosque sublevare, nedum novis oneribus gravare, præsertim Gallia Clerum, qui nimis sæpe jam intra paucos annos gravatus fuit, tamen animo revolventes hanc necessitatem temporis, quo inter alia gravissima mala, atque incommoda cuncta isthæc rapinis, incendiisque ab exteris nationibus, quæ Ecclesiis, Ecclesiasticisque præcipuè sunt infestæ, miscentur, charissimi Filii Nostri precibus deesse non potuimus. Habita igitur cum Venerabilibus Fratribus Nostri deliberatione matura, deque eorum assensu, & Apostolicæ Potestatis plenitudine, de vestra eximia integritate, fide, diligentiaque confisi: vobis per Apostolica Scripta mandamus, ut post diligentem reddituum, bonorumque ac status præsentis omnium Ecclesiarum inquisitionem, per vos, vel alios idoneos ad id delectos viros faciendam, æquâ portione servatâ, singulis juxta verum & clarum valorem assignatâ, quid cuique ipsarum minore jactura & incommodo distrahi possit, re diligenter cognita, statuatis, super quo conscientias vestras oneramus. Quibus peractis vobis permitimus, plenamque & liberam facultatem, mandatum & auctoritatem tribuimus, ut etiam nullius consensu requisito, ac invitis & contradicentibus possessoribus, de omni, & quacumque proprietate ac Dominio Ecclesiarum Cathedralium, etiam Metropolitanarum, Primatialium, nec non Monasteriorum, Prioratum, Dignitatum etiam Conventualium, majorum & principalium Administrationum, & Officiorum, cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum Sæcularium, ac Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Præmonstratensis, Grandimontensis, Fontis-

Ebraldi, & quorumcumque aliorum Ordinum Regularium, nec non Capitulorum, Conventuum, & locorum omnium in Regno Franciæ, & Dominii eidem Regi ultra montes subjectis, consistentium, eorumque Mensarum & annexorum, non tamen Mendicantium, & Pauperum utriusque sexus, nec Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, ac exceptis etiam omnibus Parochialibus Ecclesiis, quæ trecentarum librarum, simplicibusque Beneficiis, quæ centum librarum valorem annuum non excedunt: tot bona mobilia ad summam annui redditus quinquaginta millia aureorum cujuscumque qualitatibus & naturæ, nec non census, fructus, redditus, & jura, etiam si bona feudalia sint jurisdictionem annexam habentia, dummodo non sint primaria feuda, aut principales domus Beneficiorum, vel oppida mœnibus cincta, vel loca insignia, ita ut omnia membra Ecclesiarum, quæ præsentibus litteris comprehenduntur, suum onus æquè sustineant, ratione semper habita eorum, quæ minus incommodi seu damni sint allatura, & pro rata taxatio, & adæquatio justa, quantum poterit, uniuscujusque particularis Ecclesiæ & loci, ejusque membrorum & annexorum pro modo facultatum fiat, antequam ad alienationem dictorum feudorum deveniatur, ab ipsis Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Officiis, Beneficiis, Mensis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus & Locis, eorumque proprietatibus, & juribus, ita ut etiam quoad reliqua bona non feudalia minus commoda, minusque Ecclesiis utilis ad id deligantur, quorumque alienatio Dignitatem Ecclesiis, Monasteriis, Beneficiis, Ordinibus & Locis non imminuat perpetuè, dismembrare, ac separare: & sic dismembrata, divisa, & à reliquo corpore sejuncta, quibuscumque meliorem offerentibus conditionem, Catholicis tamen, nec minori pretio de his qui feudalia non fuerint, quam ad rationem viginti quatuor denariorum, pro singulo denario vendere, & titulo venditionis transferre: ita quod omnes emptores prædicti, eorumque successores, illa tanquam profana, propria, paterna, & avita possidere, & de illis illorumque fructibus libere disponere possint: pretium verò ex hujusmodi venditionibus proveniens Henrico Regi dictorum necessitatum causâ tradere, cæteraque omnia necessaria & opportuna facere & exequi, vicesque vestras, sive in toto, sive in parte, aliis delegare liberè, & licitè valeatis, etiam si talia forent, quæ mandatum exigent magis speciale, quam præsentibus est expressum; Non obstantibus Apostolicis, ac in Conciliis generalibus vel specialibus Edictis, nec non Symmachi, & Pauli Secundi, aliorumque Romanorum Pontificum, Prædecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiæ non alienandis, & alienatis ad jus & proprietatem revocandis, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus, nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum & Ordinum prædictorum juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus & indultis Apostolicis, eisdem ac ipsorum Superioribus, per quoscumque Romanos Pontifices, Prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam, etiam motu proprio & ex certa scientia, deque simili Apostolicæ Potestatis plenitudine, & aliis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis ac decretis, quotiescumque concessis, confirmatis, & innovatis, ac quibuslibet aliis indultis, ac Litteris Apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenoribus existentibus, per quæ præsentibus non expressa, vel non inserta, effectus earum impediti valeat quomodolibet vel differri, & de quibus totisque ipsorum tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in Nostri Litteris mentio specialis: quæ omnia nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Si verò

quis-

quam vestrum legitimo detensus impedimento, prædictorum executioni minimè poterit interesse, tres ex vobis eadem nihilominus exequantur.

Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam Nostri Mandati, onerationis, permissionis, tribu- tionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu teme- rario contradicere. Si quis autem hoc attentare præsumperit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Incarna- tionis Dominicæ millesimo quingentesimo septua- gesimo sexto, quinto decimo Kalend. Augusti, Pon- tificatus nostri anno quinto.

Sic signatum Cæ. Glorierius.

S. M. dati, & supra plicam.

A. de Alexiis.

Registrata apud Cæsarem Secretarium sigillata Bulla plumbea, cum cordula sericea, rubei croceique colo- rum.

Leuës, publiées & registrées, oüy sur ce le Procureur General du Roy, sans approuver la clause. INVITIS CLERICIS, jusques à la concurrence de cinquante mille escus; & non plus avant, & aux charges contenues par le Registre. Fait à Paris en Parlement le septième jour de Septembre. 1576.

LE PREVOST.

IV.
Ex Op.
Dipl. Mi-
raï Tom. 2.
p. 1305.

Gregorius XIII. Pontifex concedit Archiepiscopo Cameracensi, aliisque Belgii Episcopis facultatem absolvendi subditos suos ab hæresi, rebel- lione, aliisque gravioribus Criminibus: anno 1576.

GREGORIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memo- riam.

Sub die trigesima Mensis Aprilis, Pontificatus Nostri anno secundo, supplicationibus chassissimi in Christo Filii Nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici ea in parte inclinati, Venerabili Fratri moderno Archiepiscopo Cameracensi, ut per se, seu alium, vel alios, quot sibi expedire videbitur, Præ- latos, ac alios Presbyteros, & idoneos Viros Ec- clesiasticos in Sacris Ordinibus constitutos Sæcula- res, vel cujuscumque Ordines Regulares, tam in Dignitate Ecclesiastica constitutos, quam non con- stitutos, omnes & singulos utriusque sexus tam Laicos, quam Clericos, Sæculares, & quorumvis Ordinum, etiam Militarium Regulares, ac Presby- teros, qui Divinam Majestatem læsissent quo- modocumque, etiam in hæresis crimen, non semel tantum, sed etiam pluries post errorem detestatum relapsi forent, ac Sacrilegia quæcumque, perjurya, incestus, stupra, etiam in personam Sanctimoniam commisissent, Ecclesias deviliissent, Sacra- menta violassent, & enormiter Clericos in Sacris, vel etiam Presbyteratus Ordine constitutos vulne- rassent, & occidissent, Episcopos, ac Religiosos Antistites persecuti forent, aut carcerassent, vel prædictis similia, vel dissimilia, etiam graviora delicta, vel excessus, etiam per Bullam in die Cæ- næ Domini legi solitam, quorum absolutio Sedi Apostolicæ duntaxat per quascumque constitutiones est reservata, commisissent, cujuscumque status, ordinis & conditionis, ac præminentia existentes, etiam si quacumque dignitate præfulgerent, si hoc humiliter intra tempus condonationis à Rege præ- dicto præhendendum, & semel, vel pluries ab eo prorogandum petissent, & ad ipsam Sanctam Ro- manam Ecclesiam, & Fidem Catholicam redire, & suas hæreses publicè coram eis, vel privatim in forma Ecclesiæ consueta abjurare vellent, & se ad

penitentiam eis per dictum Archiepiscopum, vel ab eo Deputandos injungendam paratos obtulissent, eamque postmodum cum effectu adimplevissent, ab omnibus & singulis eorum hæresibus, & in eadem Fide Catholica erroribus, aliisque delictis prædictis, quantumcumque gravibus, & enormi- bus, etiam si illa speciali nota designanda essent, nec non excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque sententiis, censuris & pœnis, tam Ecclesiasticis, quam temporalibus, etiam corporis afflictivis, ac capitalibus, à jure vel ab homine la- tis, & promulgatis, in utroque foro penitus, & omnino absolvere, & liberare, aliaque desuper in præmissis, & circa ea necessaria, & opportuna facere, liberè & licitè valeret, omnimodam per alias nostras litteras concedimus licentiam & facul- tatem, prout in illis plenius continetur.

Cùm autem, sicut nuper accepimus, idem Philip- pus Rex publico edicto terminum condonationis trium Mensium præscripserit, quo durante personis quibuslibet errores, in quos prolapsi fuerant, detestantibus, & penitentiam pro commissis injunctam adimplere volentibus, condonavit, & remisit, ipse- que terminus jam ultra annum expiraverit, & pro- preca à nonnullis revocetur in dubium, an idem Philippus Rex, postquam trium Mensium spatium lapsum est, alios terminos, ac toties quoties eidem Philippo Regi videbitur, ad absolutionis beneficium impendendum, & alia præmissa peragenda præ- ferre valeat, & prædictæ dubietatis occasione, non sine gravi dispendio animarum jampridem depre- hentum extiterit, plures ante beneficium absolutio- nis obtulisse, potissimum in iis Oppidis, Castris, Villis, Municipiis, & Fortalitiis, quæ post expi- rationem prædicti termini, tam in Ducatu Gel- driæ, quam in Comitatibus Hollandiæ & Flan- driæ numero satis copioso ad obedientiam ejusdem Philippi Regis à cæteris obedientibus subditis val- de opportunè rursus aggregata fuerunt.

Litteris idem Philippus Rex, ne gravior anima- rum jactura sequatur, Nobis humiliter supplicari fecit, quatenus ei opportuno & celebri remedio pro- videre de Benignitate Apostolica dignemur.

His igitur præmissis opportunè providere, omnem- que dubitandi materiam, & quæstionem tollere, & animarum saluti, & aliis opportunè consulere volentes, nec non prædictarum litterarum tene- rem, perinde ac si de verbo ad verbum inferretur præsentibus, pro expresso habentes, ipsius Philippi Regis hac in parte supplicationibus incli- nati, easdem litteras, & in eis contenta quæcum- que adversus lapsum tempus hujusmodi, quatenus opus sit, restituentes, & plenariè indulgentes, nec non potiori pro cautela, animarumque subdita- rum ejusdem Philippi Regis securitate consulere cupientes, prædicto Archiepiscopo Cameracensi, omnibusque aliis Archiepiscopis, & Episcopis Provinciae Belgicæ, partiumque inferioris Germa- niæ eidem Philippo Regi subjectæ, eorumque, & ipsorum cujuslibet, Vicariis, seu Officialibus generalibus in solidum, & ab eis, & eorum quo- liber Subdelegatis Presbyteris Sæcularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, & idoneis Vi- ris Ecclesiasticis, tam in Sacris Ordinibus, & Di- gnitate Ecclesiastica constitutis, quam non consti- tutis, suarum, & aliarum vicinarum, quæ ad præsens Pastoris solatio destitutæ existunt, seu quas in futurum destitui contigerit, Civitatum, & Diocesium utriusque sexus personas tam Laicos, quam Clericos Sæculares, & quorumvis Ordinum, etiam Militarium Regulares, ac Presbyteros, qui Divinam Majestatem læsissent quomodocum- que, & in aliis præmissis culpabiles, etiam si in hæ- resis crimen non semel tantum, sed & pluries post errorem detestatum relapsi fuerint, ac Sacri- legia quæcumque, incestus, stupra, etiam in per- sonam Sanctimoniam commiserint, Ecclesias, Sa-
cramenta

cramenta violarint, & enormiter Clericos in Sacris, vel Presbyteratus Ordinibus constitutos, cuiusvis etiam Ordinis Regulares, vulneraverint, & occiderint, Episcopos, ac Religiosos Antistites persequuti fuerint, vel carceraverint, vel prædictis similia, vel dissimilia, etiam graviora delicta, vel excessus, etiam in Bulla Cœnæ Domini legi solita, quorum absolutio Sedi Apostolicæ duntaxat per quascumque Constitutiones reservata existit, commiserint, cuiuscumque gradus, ordinis, & conditionis, ac præminentiae existentis, etiam si quacumque auctoritate præfulgant, quandocumque, & aliàs toties quoties per eundem Philippum Regem, seu ejus in Belgio præsentem, aut futurum Generalem Gubernatorem, Archiepiscopi, Episcopi, eorumque Vicarii, & Officiales Generales, & Subdelegandi prædicti requisiti fuerint, tam in supradictis oppidis, aliisque locis, jam, ut perferretur, de novo adductis, quam similibus aliis, nec non in particularibus subditis impostero similiter, vel dissimiliter quocumque tempore reducendis, ac usus, seu necessitas postulabunt, ac donec, & quousque inferior Germania prædicta in pristina Regis prædicti obedientia plenariè, & integraliter restituta, & reposita fuerit, quoscumque id humiliter petentes, si ad ipsam Sanctam Romanam Ecclesiam, ac Fidem Catholicam redire, & suas hæreses coram eis publicè, vel privatim in forma Ecclesiæ consueta abjurare voluerint, & si ad poenitentiam eis per dictos Archiepiscopos, Episcopos, ac Vicarios, seu Officiales Generales, & alios, ut præfertur, ab eis, seu eorum altero deputandos, seu subdelegandos, injungendam, adimplendam paratos se obtulerint, eamque postmodum cum effectu adimpleverint, ab omnibus & singulis eorum hæresibus, & in eadem Fide Catholica erroribus, aliisque delictis prædictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam si illa speciali nota designanda essent, nec non excommunicationis, suspensionis, & interdictionis, aliisque prædictis Ecclesiasticis Censuris & Pœnis, tam Ecclesiasticis, quam Temporalibus, & Corporis afflictivis, & capitalibus a jure, vel ab homine latis, & promulgatis, in utroque foro penitus & omnino Apostolica Auctoritate absolvendi, & totaliter liberandi: nec non cum eis super irregularitate præmissorum occasione, etiam si ligati Missam, & alia Divina Officia etiam in Clavium contemptum celebraverint, & illis aliàs se immiscuerint, contracta, quod etiam in Sacris Presbyteratus Ordinibus, ad quos promoti fuerunt, etiam in Altaris Ministerio ministrare, nec non tam Clerici, quam Laici, & utriusque sexus illarum partium personarum, filii, nepotes, descendentes, ad gradus, honores, officia, & alia quacumque assumi, illaque suscipere, & exercere, liberè & licitè valeant, dispensandi, speciali dono gratiæ dispensare, nec non inhabilitatis, & infamiæ maculam, siue notam per eos præmissorum occasione quomodolibet contractam penitus & omnino abolendi, & illos in eum, in quo ante præmissa quomodolibet erant, statum restituendi, & plenariè reintegrandi, ita ut à quocumque desuper quomodolibet sic restituti, & absoluti molestari nequeant, plenam & omnimodam facultatem & potestatem, dicta Auctoritate Apostolica, tenore præsentium, concedimus, largimurque, dantes non solum iidem Archiepiscopis, & Episcopis, verum etiam eorum Vicariis, & Officialibus generalibus, alias Personas Ecclesiasticas, ut præfertur, idoneas cum simili, vel limitata facultate subdelegandi, licentiam.

Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac præmissis, nec non in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel Specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non ipsius Germaniæ inferioris, & Belgicæ illius Civitatum, Terrarum & Locorum, etiam juramento,

Confirmatione Apostolica, & quavis facultate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Litteris Apostolicis dictis Provinciis, & quibuscumque personis per quoscumque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam etiam motu proprio concessis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, illarum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permanens, harum serie derogamus, & derogatum esse decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Et quia difficile foret, præsentibus literas ad quacumque dictæ Germaniæ inferioris Belgicæ Loca deferri, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo cuiusvis Archiepiscoporum, seu Episcoporum prædictorum munitis, illa prorsus fides tam in iudicio, quam extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub anno Piscatoris 25. Februarii millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, Pontificatus nostri anno quarto.

Jurisdictio Ordinariorum pro puniendis Vicariis, Famulis, aliisque Ministris Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, juxta Decretum Concilii Tridentini, Sess. XXIV, Cap. 2. anno 1580.

V.
Ex Actes
& C. de
France
Tom. 2.
pag. 199.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad perquam rei memoriam.

Circumspecta in omnibus actibus suis Romani Pontificis providentia interdum ea, quæ certis etiam rationalibus tunc suadentibus causis à Sede Apostolica emanata reperiuntur, aliàs superveniente ratione, qua præsertim populorum offensionem occurrunt, & Episcoporum Jurisdictioni ritè consulitur, reducere, ac suam declarationem interponere consuevit, & aliàs desuper disponit, prout temporum, rerum & personarum qualitate pensata, perspicit in Domino salubriter expedire.

§. 1. Cum itaque compertum sit, quamplurimos Clericos Sæculares, nec non Laicos gratis, & privilegiis, quibus Sedes Apostolica dilectos Filios Magistrum, Conventum, & Milites Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani de Republica Christiana optimè semper meritos, ac eorum Ecclesias & Loca liberaliter prosecuta est, abutentes, unde sibi religiosius vivendi legem imponere deberent, inde laxioris vitæ occasionem arripere, dum varios, sæpe etiam vanos exemptionis libertatisque titulos prætexunt, alii quidem quod pro Vicariis, Capellanis, Ministris, & inservientibus Ecclesiis dicti Hospitalis quomodolibet ascripti sint; alii verò quod Coloni, Procuratores, & Familiares ipsorum Militum existant, quamvis in propriis domibus licenter degant, nihilominus ex prædictorum Militum privilegiis, illorumque confirmatione, etiam post Concilium Tridentinum à felicis recordationis Pio Papa V. Prædecessore Nostro obtenta, prætendant se ab omni jurisdictione Ordinariorum exemptos esse, nec ab illis inquiri, visitari, puniri, ac corrigi posse, eoque ipso delictorum sibi immunitate promissa, gravem in populo offensionem præbere, & in Episcoporum jurisdictione perturbationem in dies majorem excitare dignoscantur.

§. 2. Idcirco Nos huic malo, quod à prædicto Concilio multo ante prævisum fuerat, salubriter providere volentes, motu proprio, non ad alicujus

ius Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera nostra voluntate, ac deliberatione, & certa scientia, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, omnia & singula privilegia, exemptiones, gratias, & indulta, Magistro, Conventui, Militibus & Militiæ dicti Hospitalis per quoscumque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, & Sedem prædictam in genere, vel in specie quomodolibet concessa, & confirmata, nec non dicti Pii Quinti litteras super eorundem Confirmatione emanatas, sub Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 29. Novembris 1568. Pontificatus sui anno tertio, ad prædicti Concilii decretorum terminos, tenore præsentium reducimus, ac reducta esse, nihilque ex ipsis privilegiis, exemptionibus, gratiis & indultis, Ordinariis locorum detractum esse, quo minus ipsorum Militum Vicarii, Capellani, Ministri, Servientes, Ascripti, Coloni, Procuratores, & Familiares Militum huiusmodi, quibus ea jam concessa sunt, & in posterum concedi contigerit, ab ipsis Ordinariis, tanquam Apostolicæ Sedis Delegatis, de eorum excessibus, criminibus & delictis, etiam extra visitationem, quando & quoties opus fuerit, inquiri, visitari, puniri & corrigi possint, ipsorumque Ordinariorum jurisdictioni plenè in prædictis subiecti existant, (exceptis tamen iis, qui Ecclesiis, aliisque locis dictorum Militum actu serviunt, & intra eorum septa, & domos resident, ac sub eorum obedientia vivunt, quæ omnia debere simul concurrere intelligantur, sine iis, qui legitimè & secundum regulam prædictæ Religionis professionem fecerint, (de qua loci Ordinario consistere debeat.) Et ita in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Judices, Ordinarios & Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuiuslibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, in quavis causa & instantia iudicari & definiti debere.

§. 3. Præsentisque litteras de subreptionis vel obreptionis vicio, seu intentionis nostræ defectu, notari vel impugnari non posse, sed illas semper validas, & efficaces esse, ne per Magistrum, Conventum, & Milites prædictos quoruncumque privilegiorum, statutorum, consuetudine & styli prætextu ullatenus infringi, vel contra illas, & in eis contenta venire non posse, neque debere, irritumque quoque & inane, quicquid fecus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Hospitalis etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, stabilimentis, usibus & naturis, nec non declarationibus, sententiis, juramentis, concordiiis, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, Magistro ac Conventui, ac Militibus prædictis, & eorum Vicariis, Capellanis, Colonis, Familiaribus, Procuratoribus, & aliis quibuslibet, ipsorum Militum intuitu vel contemplatione, per quoscumque Romanos Pontifices, & Sedem prædictam quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiam si pro sufficienti eorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, ad effectum præsentium duntaxat specialiter & expressè, motu simili derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Eisdem Pii Papæ V. litteris memoratis, quoad alia, & in eo maximè, quod voluit prædictorum Militum privilegia, illorumque confirmationem non comprehendere, neque Ecclesias, neque Personas, in his, quæ ad Curam Animarum pertinent, sed in his dicti Concilii Tridentini Decreta omninò servari debere, in suo robore permanentibus.

§. 6. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides, tam in iudicio quam extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesima quinta Novembris, anno millesimo quingentesimo octuagesimo, Pontificatus nostri anno nono.

Declaratio super Præcedentia inter Mendicantes, & Confraternitates Sæculares in Processionibus. anno 1583.

VI.
Ex libid.
tom. 2.
pag. 201.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXposcit Pastoralis Officii munus, cui disponente Domino præfidemus, ut ad ea sollicitè intendamus, per quæ discordiarum & litium, ac controversiarum quarumlibet, præsertim inter Personas Ecclesiasticas, materia tollatur.

§. 1. Sane nobis nuper innouit, quòd in multis Civitatibus & Dioccesibus diversarum mundi partium nonnullæ lites, causæ & controversiæ inter Fratres Mendicantes, aliæ etiam similes lites & controversiæ inter Confratres Confraternitatum Christi Fidelium, super præcedentia vel jure præcedendi, ortæ jam sint, & oriri facile possint.

§. 2. Nos considerantes, lites, causas, & controversias huiusmodi in Ecclesia, præsertim inter Religiosas personas, quæ relictis mundi vanitatibus, famularum, & votum suum in humilitatis spiritu Domino, & Deo nostro, qui se pro nobis usque adeo humiliavit, ut formam servi acciperet, exhibere & perolvere profitentur, non modicam illi præclaræ, Deoque præcipuè dilectæ virtuti, quæ est Humilitas, labem infundere, populoque scandalum generare, ac propterea illas omni ratione submovendas, publicæque Religionis tranquillitati, ac Ministrorum Ecclesiasticorum reconciliationi, & mutæ dilectioni quamprimum consulendum esse rati, ac supremam huic negotio manum apponere volentes, nec non causas, lites, seu controversias huiusmodi ubilibet, & coram quibusvis Iudicibus motas, & in quibusvis instantiis indecisas pendentes, ab eisdem Iudicibus harum serie ad Nos advocantes, illasque penitus extinguentes, eisdemque Fratribus Mendicantibus, ac Confratribus super præmissis perpetuum silentium imponentes.

§. 3. De Nobis attributæ potestatis plenitudine volumus, & Apostolica Auctoritate decernimus, quòd quicumque ex dictis Fratribus Mendicantibus inter se de Præcedentia huiusmodi contendentibus, aut Confratribus Confraternitatum prædictarum, inter quos lites & causæ præmissorum occasione ortæ jam sint, seu oriri contigerit in futurum, qui in quasi possessione præcedentiæ, ac juris præcedendi sunt, ii, (quibuscumque reclamationibus, protestationibus, appellationibus, & aliis subterfugiis profus remotis, & cessantibus, & postpositis) in Processionibus tam publicis quam privatis præcedere debeant. Quando verò non probetur, aut non constet

de quasi

de quasi possessione præcedentiæ hujusmodi, inter Fratres quidem Mendicantes, ii, qui antiquiores in loco controversiæ, inter Confratres verò inter se ligantes ii, qui prius facis usi sunt, in Processionibus tam publicis quàm privatis præcedere debeant, ita ut si contigerit nova Monasteria, aut Domus alicujus Ordinis Mendicantium, in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monasteria, aut Domus prius erecta & instituta sint, ille Ordo, qui prius Monasterium seu Domum in loco haberit, præcedat.

§. 4. Præterea quia inter prædictos Ordines plerumque alia, in Processionibus, & alia in Conciliis Generalibus, & aliis actibus publicis sive privatis, ratio circa modum præcedendi servatur, nolumus per præsentis prærogativis dictorum Ordinum, quoad præcedentias hujusmodi, quæ propriis Ordinibus præterquam in Processionibus prædictis debentur, aut Fratribus Capucinis nuncupatis, qui in Processionibus publicis sub Conventualium Sancti Francisci, aut Minorum de Observantia Fratrum nuncupatorum, Cruce, ut folent, incidere possint, aliquod præjudicium generari.

§. 5. Sicque per quoscumque Judices & Commissarios, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, ac quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel igno-
ranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, Domorum, ac Confraternitatum quorumcumque, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, illis eorumque Superioribus & personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores præsentibus pro sufficienter & expressis habentes, illis aliàs in suo robore permanentibus, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus autem, ut præsentium transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quàm extra adhibeatur, quæ præsentibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, die 15. Julii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus nostri anno duodecimo.

Anno à Nativitate Domini 1583. Indictione II. die verò Dominico 17. Mensis Junii, Pontificatus verò Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Gregorii, Divina Providentiâ Papæ XIII. anno 12. retrospectæ Litteræ Apostolicæ in forma Brevis expeditæ, assixæ, & publicatæ fuerunt in acie Campi Floræ, ut moris est, per nos Petrum Guerram, & Melchiorum Riccium, ejusdem Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores.

Joann Baptistâ Bagni Magister
Cursor.

SIXUS QUINTUS.
PONTIFEX CCXXXI.
ANNO DOMINI MDLXXXV.

Sixtus magni Nominis Pontifex, humili loco natus, parentibus ignobilibus. Sanctum Bonaventuram Ecclesiæ Doctores addidit. Fabricam S. Petri promovit, & Tholum absolvit. Obeliscos quam plurimos erexit: erectaque ipsi fuit in Capitolio area Statua, Majora egisset, nisi cum mors prævenisset. Obiit Pontificatus anno sexto: (*Magni Bullarii Romani hujus Editionis Luxemb. 1727. Tom. II. fol. 526. App.*)

Declaratio contra Henricum Borbonium, assertum Regem Navaræ, & Henricum item Borbonium præsentem Principem Condensem, Hæreticos, eorumque Posteris, & Successores, ac liberatio subditorum ab omni fidelitatis, & obsequii debito: anno 1585.

I.
Ex Mon.
Gold.
Tom. 3.
pag. 124.

SIXTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam.

AB immensa æterni Regis Potentia, Beato Petro ejusque Successoribus tradita auctoritas omnes terrarum Regum & Principum supereminet potestates, stabilique in petra consistens, nec ullis adversantibus, vel etiam secundis fati à recto destexa, inconcussa profert in omnes judicia: & ne Divinæ maxime Leges violentur, summa ope providet, & si quos Ordinationi Dei resistentes invenit, severiore hos vindicta ulciscitur, & quamvis potentiores de folio dejiciens, veluti superbientis Luciferi Ministros, ad infima terra deturbatos prostrernit.

Quare pro incumbenti Nobis Ecclesiarum omnium, Populorum ac Gentium sollicitudine, ut animarum saluti inprimis prospiciatur, & non solum famulatus nostri, sed etiam omnia futura tempora, impiis ac detestandis monstis purgata, cunctis Christiani Orbis partibus pacem afferant, & quietem: & præsertim amplissimo Gallia Regno, in quo Christiana Religio omni tempore ita viguit, tantaque Regum illius pietas, fides, ac devotio: tot in Romanam Ecclesiam merita extiterunt, ut ii jure optimo gloriosissimum Christianissimi cognomen ab ea sint consecuti; ac etiam ne Nos de neglecta Officii Nostri Cura unquam apud Deum argui possimus, arma Militiæ Nostræ, quæ non carnalia sunt, sed potentia Deo in destructionem munitionum, nunc contra duos potissimum iræ filios, Henricum Borbonium quondam Navaræ Regem, & Henricum Borbonium, olim Principem Condensem, exercere compellimur. Ille enim quondam Rex Calvinæ erroris, atque hæreses etiam ab ineunte adolescentia securus est, pertinaxque earum patrocinium tandiu exercuit, quoad clar. mem. Caroli Noni Francorum Regis, & charissimæ in Christo Filia Catharinæ Regina, ejus Matris pietissimæ, atque etiam dilecti Filii Nostri Caroli, tit. S. Chrysoconi Presbyteri Cardinalis Borbonii, patris sui, & Ludovici Montpensieri Ducis, piis, frequentibusque hortationibus, aspectisque eximie virtutis ac Doctrinæ Theologorum demonstrationibus ad Fidem Catholicam, & Apostolicam Romanam (ut existimabatur) conversus, hæreticas omnes contra Fidem Catholicam opiniones Parisiis publicè in Ecclesia damnavit, anathematizavit, & abjuravit, Fidemque ipsam Catholicam expressè professus est; datis